

11834

Σὺν τῷ Θεῷ!

DISQUISITIONEM POLITICAM

De

SUCCESSIONE

PRINCIPIS, JURE

PRIMOGENITURÆ,

&

APANAGIO,

PRÆSES

M. CHRISTIANUS GOTTLIEB

VOGELIUS, Oderâ Misnicus, J. U. Cultor, &

Notarius Publ. Cæsareus, uti & Serenis. Elect. Sax.

Alumnus,

RESPONDENTE

JOANNE CHRISTOPHORO Fürcken/

Wittenbergensi Saxone, Phil. & SS. Theol.


Stud.

*publicæ placidæq; ventilationi*

*exponit,*

*ad d. XVI. Cal. Februarii A. R. S. M. DC. LXXXI.*

*in Auditorio Veteri.*



Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

1681 9  
25

d.  
m.  
l.  
c.  
a.  
er  
a.  
r.  
er  
a-  
te  
a-  
æ  
v.  
n.  
et

S.



VIRIS

*Nobilissimis, Consultissimis, Excellentissimis, Amplissimis,  
Clarissimis, Prudentissimis*

DNN.

CONSULIBUS, SYNDICO,  
CÆTERISQUE SENATORIBUS INCLYTÆ  
REIPUBLICÆ  
FRYBERGENSIS

*Patronis ac studiorum meorum Promotoribus  
etatem devenerandis.*

**T**rigesimum tertium hoc laboris Academici specimen est, quod partim Respondendo, partim Opponendo; partim etiam Præsido publicè, privatimq; hætenus in Scholis habui. Quod etsi ita comparatum minimè est, ut Vestram, VIRI NOBILISSIMI, sustinere aciem queat, non tamen in eo notandus ero magnòperè, si pro viribus efficere mœnia nostra jubeam. Nunquàm etiam id propter Juvenes malè audisse memini, quod non ad fastum, sed communes usus studia sua composuere. Neq; illud Vos miremini, quod tam audaci & temerario fermè consilio Vestrum iterum pagellis hisce præfigere nomen non erubesco, qui jam consilio, auxilioq; Vestro auctus abivi. Ita enim Vos existimare velim, magna mihi cura fore, & esse jam, ut Vos, Vestriq; omnes, deniq; etiam, ut Cives reliqui sciant, Vobis me esse obstrictissimum, perpetuumq; Debitorem, optantem sibi benevolentiam istam propriam perpetuamq; dicari. Accipite ergò hunc ingenii mei partum hilari fronte: neq; quod humili Vobis offertur manu, benevolis oculis dedignemini. Quin potiùs sensuum imbecillitati aliquid indulgete, & affectum Vestrum erga me conservate, augete, atq; extendite. Contrà ego Vestra in me mèrita nunquàm non depradicare, omnigenamq; Vestri salutem seriis à DEO precibus expetere nitar

Obsequiosissimus Vester Client

PRÆSES.



§. I.



Vod inter privatos J. N. & G. circa bona hæreditaria inter Liberos æqualitèr, non æquali tamen semper mensura distribuenda obtinuit, tantum abest, ut ad personas Principes indè argumentum possit deduci, ut pleraqve potiùs per omnia ab invicem disfidere deprehendantur. Utut enim cuique filiorum absqve prærogativâ statûs æqualem ad successionem Parentum largiamur aptitudinem, cum *Clar. Pufendorff. in Elem. Jurispr. univers. Lib. 1. def. 5. §. 17.* non tamen iis æquale jus est protenus à natura. Neqve hoc Civitatum & Regnorum fert conditio, nec salus publica, prora & puppis omnium actionum nostrarum, eò quòd *Cicerone teste, 3. Off.* privata publicæ ubiqve cedat, ac cadente Republ. nequaquàm incolumes stare res privatæ possint.

§. II. Eò siquidem lapsu temporis & animorum discrepantia venit, ut quemadmodum *Crispus Sallustius in Bello Jugurth. p. m. 58.* inquit: plerisque in negotiis privata bonum publicum antecellat gratia & devincat; Concordia

quoque fratrum admodum sit rara. Quod si itaque ad singulare aliquod Regnum tresve pluresve fratres sine discrimine admitterentur, quid evenire putas Reipublicæ boni aut damni? Quot rixæ? quot strepitus? quot conflictus disseminarentur? Quot genera mali redundarent in Rempublicam? Annon plurima miscere & appetere sibi præsumerent? Pectora conciperent flammæ, paullatimq; augmentum fumerent, & crescerent indies, captâ suspitione. Rectè Papinianus, *Constat*, inquit, *communione discordias parere, & contentionum matrem esse fœcundam*. Certè omni principatui cum desiderabilis sit valdè animorum tranquillitas, fieri non potest non ex adverso dissipatio, & fluctuantibus invicem seditionibus totius Reipublicæ interitus ac lapsus, si inter plures eodem parente genitos summa rerum dividatur. Ut nihil commemorem jam de subditorum præstandâ ac violandâ fidelitate, cum duo pluresve fratres æquali regimine utentes inter se disceptant & digladiantur, quòd necesse sit, conscientiam à parte unius disfidantium respectu præstiti homagii contaminare.

§. III. Et quid? si vel maximè unusquisque suâ ratâ contentus, saltem illam rursus inter Liberos vellet dividere, anne tot penè evaderent Principes, & Domini, quot Subditi? Numne ita attenuarentur vires, ut nisi planè intercidant, aut hostibus & vicinis amplius non resistere queant, aut à Principibus ipsis exhaustæ sub onere exactio-  
num deficient? Testantur annales, per ejusmodi crebras subdivisiones omninò Regna & Imperia etiam maxima in prædam venisse. Quid labefactavit *Imperium Romano-Germanicum*, quàm divisio inter tres filios Ludovici Pii? Quid *Francos* debilitavit? Quid *Silesios, Moschos, Polonos, &c.*  
quàm

quàm crebra ejusmodi divisio. Videatur Sprengerus in Syn. jur. publ. c. 9. pag. m. 242. Arnisaus in doct. pol. cap. 9. pag. m. 178. & in tr. de Republ. lib. 2. cap. 2. sect. 7. num. 14. & seqq. Divisio non tantùm familiis, inquit JurisConsultus Gailius 2. Observat. 153. num. 3. sub Imperio quoque damnosa est. Nam ut in exemplo nostri Imperii rem præsentemus, Variatur matricula Imperii, aut saltem pensitationes & exactiones collectarum incertæ redduntur, toties mutatis rerum possessoribus, ita ut præter nudum dignitatis titulum & nomen vix aliquid reliquum sit; cum contra si conserventur bona paterna, conservetur etiam splendor familiæ, & prætereà hæreditas mole suâ coadunata diuturnior longè futura sit, quàm quidem plurimum dispalata. Confirmans Philosophus hoc inquit: *Omnis Virtus unita magis fortior est dispersa, & omnis dualitas ad destructionem Subjecti: unitas verò ad conservationem sui ipsius ordinatur.*

§. IV. Optimè hinc admonuit filium suum *Henricum Rex M. Britannia, Jacobus I.* ne regna cum fratribus divideret, sed sibi ea reservaret unita, neque fratres sibi pares, sed inferiores & subditos haberet, referente *Bets. de pact. fam. illustr. cap. 8. pag. 527.* Et simili fèratione Elector JOHANNES GEORGIUS I. gloriosissimæ memoriæ in dispos. testam. de Anno 1652. constituit in verbis: *Das Unsere nachgelassene Land und Leuthe Sie weder trennen noch theilen sollen/ &c.* Videamus igitur, cui fratrum successio ista in solidum jure competat? Et non ambigimus: Primogenito. Non equidem quòd melior sit cæteris. Id enim fallit maximè, exemplo *Esavi, Ruben, Caini*; nec quòd Imperii magis capax sit, quòd & ipsum

& ipsum non adeò certum est. Nam reliquos æqvè aptos natos esse posse ad gubernandum, quàm primogenitum, in §. 1. jam dedimus; nec ideò, quòd Patres plus soleant diligere Primogenitos, veluti primas sui imagines, & acerbior, imò supremus luctus sit Primogeniti, quemadmodum *Gregorius Tholozanus in S. J. U. Lib. 41. cap. 34.* ex sacris probat; sed quia major natu longè honoratior est cæteris, secundum illud *Chilonis è VII. Sapientibus: κατὰ προσβεβύειαν τιμήται μάλλον.* Quod *Ælianus lib. 3. de nat. anim.* itemq; *Aristoteles lib. 6. Histor. Anim.* ex eo vult evincere, quia & ipsa bruta per stimulos sibi innatos hoc observant, & primo nascenti primam & pingviorrem mammam præbent. Undè & primogenito circa bona hereditaria illud jus competere dicunt allusivè magis, quàm verè.

§. V. Potius dignitatem illam accersimus nos *ex sacris literis.* Non rarò enim Primogenito ibi certa prærogativa tribuitur, uti *Gen. 49. v. 3.* quando יִתְרֵן שָׂאֵרָה excellens elevatione sacerdotali, der Oberste im Opffer/ item יִתְרֵן עֵי excellens fortitudine Regiâ &c. der Oberste im Reiche salutatur. Ratio additur ibi: quòd scilicet sit אֲנִי וְרֵאשִׁית אֲנִי *principium roboris & virium paternarum.* Undè *Varenius de primogenitura in Vet. Testam. cap. 4.* omnes Patriarchas primogenitos fuisse infert, & jure primogenituræ dignitatem Sacerdotii habuisse docet. Quod idem jam antè observavit *Tholozanus lib. 16. cap. 8. num. 22.* & tam in Sacerdotio, quàm Regno Primogenitum successisse probat *Gold. de Major. l. 2. cap. 26.* alias etiam præminentias eidem debitas enarrans *lib. 3. cap. 5. num. 9.* veluti primogenitum apud Judæos ad dextram Patris



Patris in mensâ sedisse; specialiores, pretiosiores & odoriferas vestes habuisse, primùm oblationes Domino obtulisse, &c. Quibus adde, quòd in familia erciscunda duæ ipsi competant portiones, *Deuteronom. 21. vers. 15.* Quod si ergò præcipuum jus in hæreditate paternâ habet primogenitus, Quidni in Regno? *Henning. Arniseus de Republ. l. 2. cap. 2. sect. 8. num. 86.* Sanè, qui præcipuum jus habet in hereditate, is & in possessione Regni, secundùm *Grot. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 7. §. 13.* Fatetur hoc ipse *Salomon*, sapientissimus Regum, Regnum ad fratrem suum *Adoniam* jure primogenituræ pertinuisse, *3. Reg. 2. Conf. 2. Paralip. 21.*

§. VI. Nec deficit hæc in parte *jus positivum humanum*, dùm non prisci tantùm Græci τὴν βασιλείαν κατὰ τὸ πρεσβεῖον competere perhibebant: sed & ipsos vetustissimos Romanorum eâ de re legem tulisse accepimus: *Ex filiis Imperatoris, dicunt, qui atate antecesserit, Imperatorem salutanto, & is fratribus imperato, & hic Seniori cedunto, seduloq; serviunto,* refer. *Gold. de Maj. Lib. 2. cap. 29.* Hinc apud *Livium lib. 40. Perseus* major natu accusat *Demetrium*: *Regnare, inquit, utiq; vis: huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus Macedonia mos, obstat verò etiam Patris judicium.* Imperator divæ memoriæ gloriosissimus, CAROLUS IV. in *A. B. de Principatibus & Electoratibus* sancivit expressè, ut semper filius primogenitus Laicus debeat succedere, aut quamdiu aliquis ex familiâ sexus masculini Laicus natus sit, *tit. 7. 24. in fine & 26.* Et si ultra divagari liceret, vel sexcentas Principum & Imperatorum constitutiones haberemus, è quibus demonstrare esset facil-

facillimum, in omnibus ferè Regnis & Provinciis jus primogenituræ esse receptum.

§. VII. Ita de Parthis, Persis, Macedonibus, Spartanis, Rhodiis, Gothis, Francis, Polonis, Turcis, Scotis, Anglis, Hispanis, Gallis, Hungaris, &c. hanc consuetudinem probat abundè laud. *Arniseus in doct. pol. cap. 9. pag. 175. 176. & seqq.* De Archiducatu serenissimæ domûs Austriacæ, ex decreto FRIDERICI I. BARBAROSSÆ *in Comit. Ratisbon. de Anno 1136.* quod à FRIDERICO II. *in Comit. Veronensibus Anno 1242.* & à CAROLO V. *in Comit. Wormat. Anno 1525.* confirmatum, res est certissima: & de Regno Svecico, cujus Ordines *Anno 1650.* consentiente & approbante Regio Candidato, CAROLO GUSTAVO, Palatino, legem dixerunt, vigore cujus soli masculi ad coronam admittuntur Svecicam, primò Primogenitus ejusq; filii, cujus lineâ extinctâ Secundogenitus, & hâc lineâ denatâ Tertio genitus cum suâ prole simili jure ac modò succedit, aus dem Schwedischen Reichs-Tags Schluß itidem non potest esse dubium. Ut de Electoratibus taceam. Unde tamen hoc colligimus, quod cum ejusmodi successio, lineâ regnatrice deficiente, Secundogenito ejusq; hæredibus adscribatur, hi Patruos suos antevertant, eò quod proximiores sint, dignitati isti, Patremq; repræsentent. Cæterum de Ducatu Württembergico, *ex verbis Casareæ investituræ: De Brunsvicensi ex pactis familiæ Anno 1553.* initis & ab Imperatore CAROLO V. confirmatis: De Ducatu Schlesvicensi, Burgundiæ, Lotharingiæ, Hasliæ, &c. probant *Gold. de Maj. c. 17. num. 2. lib. 1. & c. 18. num. 2. c. 19. num. 3. Arniseus de Republ. lib. 2. c. 2. sect. 7. num. 35. & seqq.*

Et seqq. Quod igitur tot gentium moribus receptum, atque haecenus probatum est, procul dubio fundamentum dicit ad ipsum jus naturale, quippe quod dicente Cicerone: *nihil aliud est, quam consensus Gentium, si non omnium, certe moratiorum.* Hugo Grotius de J. B. & P. Lib. 1. cap. 1. §. 12. suffultus certis rationibus convenientiam ac disconvenientiam cum natura non tantum rationali, sed sociali demonstrans.

§. VIII. Loquor autem de Regno & Statu Monarchico, ac successivo: non Aristocratico & electivo. In prioribus quippe jus Primogeniturae stabilitur rationibus I. quidem, quia juxta Aristotelem 1. Pol. 8. praesumitur Primogenitus iudicio, aut perfectior, aut prius futurus. Hinc Cyrus apud Xenophontem, τὸ προγενέσθαι inquit, προσετίω τῷ προτέρῳ γενόμενῳ, καὶ πλειόνων κατὰ τὸ εἰκὸς ἐμπείρω: Imperium relinquo majori natu, ut quem par est rerum esse peritiorum. II. Quia juxta ordinem nascendi competit ipsi aetatis & honoris prerogativa, per consequens etiam majus jus, secundum c. 54. de R. J. in 6to. Hinc Artemenes apud Justinum lib. 2. c. 10. Maximus natu aetatis privilegio Regnum sibi vindicabat, quod & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dederat; & Manuelem de Isaacio loquentem: ἀπὸ γενέσεως εἰς τὴν διαδοχὴν τῆς βασιλείας καλούμενον, & quod Hircani Principatus ob nascendi ordinem fuerit, inducit Grotius Lib. 2. de J. B. & P. c. 7. in obs. ad §. 13. III. Quia in omni tali successione quaedam latitat electio, quae consensu tacito Populus Primogenitum nominat, ut Patris mortui suppleat locum. Nam si nullus deinceps alius filiorum nasceretur, unus esset, cui maximè collatum Regnum optaret Pater ac populus. Et eò ipso quod natus solus est; statim nomi-

B

natus



natus videtur hæres, & destinatus Successor, ut ne si humanitus aliquid acciderit Patri, ad extraneum devolvatur imperii summa, & imperandi potestas, juxta Hornium *de Civitate Lib. 2. c. 9. §. 15.* IV. Quia si primogenitus non succederet, in incerto esset successio, & obnoxia vel Certaminibus, vel fortunæ: à quâ tamen iterum Majorem natu aliquando electum, & ad solium evectum esse docet exemplum *Ottonis, Landgravij Hassiæ*, cujus Filii *Henricus & Ludovicus* rem totam committebant fortunæ, referente *Limneo, tom. 2. jur. publ. lib. 6. c. 8. num. 25.* Adeoque rectè concludit Herodotus: Νομιζόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων, τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, quod mos omnium populorum sit, ut natu maximus habeat Imperium.

§. IX. Sed nova inde suboritur controversia, quousque sese extendat jus Primogenituræ? Non equidem hic Hispanorum opinionem pluribus tangam, qui si gemelli prodierint, posterius natum Primogenitum esse judicant, sumptâ similitudine ex lapidum fodinis, eò quod posterior lapis effossus natura prior sit eo, qui è lapidicinis primùm eruitur, allegante *Zeilero in Hispan. c. 1. §. de veterum 8. num. 16.* sed tantùm disquiram, *Utrum si primogenitus ante tempus successionis moriens Fratrem ac Filium relinquat, hunc vel illum præferri oporteat?* Certe pro Patru gradū ejusque prærogativâ non desunt rationes. Sed contrariam veriorem esse existimamus, quod veluti jus nascendi, ita jus quoque primùm nascendi immutabili serie ad descendentes propagetur, & in iis continetur; ac proinde veluti Pater, cui semel primogenitus natus est, alium ejusdem gradus & ordinis amplius habere nequit, ita primogenitus ejusque posteri  
perpe-

perpetuo ordine eundem locum occupant; ille jure suo sibi proprio, hi beneficio repræsentationis, quò in locum Parentis sui succedunt, ejusque personam repræsentant, ac una eademque persona cum illò censentur, siquidem non qualitas repræsentantis, sed repræsentati respicitur. Vid. *Becmannus in Medit. suis Polit. c. 8. §. 12.* Ubi hanc litem Anno 1585. superstite adhuc *Henrico III. Rege, Henrico IV. tunc Navarra Regi* motam fuisse testatur, ab initio. Conf. *Henn. Arnif. in Doct. pol. cap. 9. §. si verò. p. m. 179.*

§. X. Sed euge, inquis, hâc ratione Ultrageniti prorsus erunt solo patrio ejiciendi? Non sanè. Diabolicum est, quod *Clapmarius Lib. 5. de arcanis Rerumpubl. c. 2.* singulare arcanum & fundamentum Imperii Turcici esse refert, Fratres, quibus nihil omninò miserius est, internecioni dedere. Neque illud probamus, quod in Monasteria, vel in Carcerem quandoque detrudantur; sed qui in Regno tali succedit, fratribus tantum debet pro jure suo rependere, quantum decet ex arbitratu viri boni, per trad: *D. Arnif. d. lib. 2. c. 2. sect. 9. num. 32.* contra *Springsfeldium de Apanagiis c. 8. num. 22.* & quem recens secutus est, clarissimus *Becmannus in Med. Pol. cap. de Soc. Paternâ th. 13. in fine.* Atque hujus pensionis, quæ voce barbarâ dicitur *Apanagium*, incerta est quantitas, siquidem eandem portionem, propter periculum motus, & faciendos minores sumptus, non habent, quàm Primogenitus. Si enim totum Regnum est Primogeniti dignitas, hæreditas & Legitima, & consuetudo Regni suadet, ut Ultragenitis apanagium quoddam constitutatur; illa constitutio talis esse debet, quæ non pugnet cum jure Regni individui, quod tamen fieret, si

per modum æqualis distributionis , & tanquàm pars paternæ hæreditatis exhiberetur. Undè colligimus, tantum iis per modum provisionis & alimonii causa relinqvendum esse, quantum ad familiæ suæ splendorem, conservandum necesse, & Imperii ærarium ferre potest: nisi vel pacto, vel testamento Patris, vel aliâ aliquâ ratione certa summa fuerit definita.

§. XI. Constituitur autem istud Apanagium *vel in pecuniâ numeratâ, vel in certâ Provincia parte.* Prioris exemplum est in testamento paterno ALBRECHTI *Elect. Brand. de Anno 1473.* ubi postgenitis Apanagiatis 1000. *Rhenani* sunt constituti, quam summam deinceps in Testamento suò *Marchio-Brandenb. Anno 1507.* duplicavit, donec tandem, *uti Mylerus habet,* Ultragenitis in istâ Electorali familiâ in genere, usque dum annum 18. compleverint, alimenta, & postea annuatim 6000. *Imperiales* pro deputato deberi cœperint, *de Statibus Imperii c. 22. p. 251.* Posterius per se claret. Sic v. c. in illustri domo *Hasfiacâ* quantitas apanagii ad quartam omnium bonorum redacta est. Sed apud Saxones olim, *referente Albin: in der Meisn. Chron. Lib. 1. tit. 16.* Primogenitus tantum successit in Ducatu, reliqui verò fratres Dominatus dignitates impetrarunt. In Polonia Urbs *Siradia* cum suò districtu apanagii locò fuit concessa: & in Regno *Sueciæ* certum etiam Ducatum iis assignari fertur. Ut de nostris territoriis jam nihil nunc dicam. Addunt aliqui tertiam speciem, quæ nimirum consistit in pecuniâ & ditionibus simul. Quò referunt exemplum *Josaphati 2. Paral. 21. v. 3.* qui *Joram* Regnum dedit, & fratribus ejus munera cum Civitatibus munitissimis. Simile extat in Comitatu *Embdensi per decretum Casareum,*  
de

de Anno 1589. Quâ de re uberiùs vid. laud. *Arnif. L. 2. c. 2.*  
*sect. 9. num. 24. de Republicâ.*

§. XII. Estq; vel *personale* vel *reale*: Utrumque  
vel *proprium* vel *analogum*. Prius personam non egre-  
ditur: posterius verò ad hæredes transit. *Proprium dici-*  
*tur*, quando Primogenitus sibi soli vindicat Regalia, &  
omnes ex familiâ repræsented, eorumq; nomine investi-  
tura renovationem petit, ac denique in omnibus acti-  
bus publicis, ubi de ipsorum commodo aut incommo-  
do agitur, ipsorum negotia gerit atque tuetur, nec non  
solus votum ac sessionem habet in Comitibus: *Impropri-*  
*um*, quando ipsi de Apanagio suo ab Imperatore inve-  
stiuntur, ut licet deinceps in Comitibus votum ac ses-  
sionem non habeant per se, votum tamen Primogeniti non  
ut majoris natu fratris tantum, sed conjunctim totius  
lineæ hujus & illius familiæ causa dari soleat, *Magnif.*  
*Dn. Wilhelmus Lyserus, Præceptor ac Promotor noster eta-*  
*tè devenerandus, in prælect. ad Synops. J. P. Beckeri,*  
*Lib. 3. c. 7. num. 7.* Dicitur aliàs Paragium, quod Cla-  
rissimo Becmanno est *titulus*, quo *ditionum pars minor*  
*à fratribus natu minoribus eorumq; posteris ita possidetur,*  
*ut majori fratri majorem partem obtinenti eò nomine*  
*neq; fidelitatem, neq; homagium debeant: quippe qui pari*  
*jure stirpis & pari titulo paternæ avitæq; hereditatis id*  
*obtinent, cit. Medit. cap. 8. th. 13. circa med.* Atque ejus-  
modi Paragia in nostro Imperio vigere maximè persua-  
si sumus.

§. XIII. Quandoquidem hujuscemodi Principes  
omninò sunt Status Imperii, & jus Austregarum habent,  
cùm contrà Apanagiati propriè sic dicti nec Status Im-

perii sint, nec in primâ Instantiâ semper Camerae jurisdictionem agnoscant; sed vel in Rothvilenfi, vel aliò quodam principe Judicio forum fortiantur. Nec illud hâc contradictionem implicat, statum esse Imperii, nec tamen jus suffragii in eò obtinere: quod tamen de essentia est & proprietate Status. Præterquam enim, quod res in Comitibus tractandæ probè sint discernendæ, falsum est, eos omni suffragio destitui. Habent enim votum interpretativum, ex quo deinceps fluit aliquando negativum. Ita *superioritatem territorialem* habent Paragiati in suis portionibus assignatis: sed Apanagiati saltem eò titulò, quò viduæ illustres sua dotalitia. Quippe ususfructus saltem ad eos spectat; proprietas ad Primogenitum. *Potestatem cudendi monetam* habent illi suâ ipsorum propriâ effigie ac nomine insignitam: hi minime Gentium. Quod si verò ab ipso Imperatore jus moneandi specialitèr acceperint, tum hâc in parte erunt iis similes. *Sic etiam circa potestatem ecclesiasticam externam* incidit quæstio, quam Apanagiatibus improprie sic dictis jure meritoque adscribimus; proprie verò planè negamus. Nam si jus Patronatus pro ipsâ potestate sumitur, quam Princeps circa sacra habet, & Regium dicitur, non potest non illud soli Principi primogenito competere, ut etiam ex plenitudine potestatis aliam atque aliam introducere possit religionem, cum ex adverso Apanagiati proprie tales superioritate territoriali destituti nihil quicquam circa religionem disponere, neque dum immutare queant: Si verò de communi & vulgari, quod subditis & privatis etiam competit, quæstio est, tum utraqve largimur manu.

§.XIV. De



§. XIV. De homagio à Subditis præstando, cum res apud nos non penitus sit expedita, nec nostrum erit decidere. Soli equidem territorii Domino exigere competit à personis in territorio existentibus juramentum subjectionis, non Apanagiatas. Namque homagii præstatio ex parte recipientis tessera quædam ac nota est superioritatis: ex parte præstantis verò signum & fundamentum subjectionis. At ubi Apanagium vel improprium, vel conventionale, vel hæreditarium viget, tum res manifesta est. Siquidem non tantum Primogenito, sed conjunctim etiam postgenitis homagium præstari solet, Autor est *Springsfeld. de Apanagio cap. 11. num. 182. & seqq.*


§. XV. Alia exinde suboriri posset quæstio, *num- nè subjecti sint Primogenito Paragiatas?* Sed cum ardua & spinosa hæc sit quæstio, manum potius de tabulâ. Certè in Regnis, ubi omnia ad Primogenitum spectant, dubium non est, quin Ultrageniti eum tanquam Dominum venerari, & Dominum Clementissimum salutare debeant, id quod & in Gallia observari testatur *Bodinus 6. de Republ. 5.* ita ut ceu pares Regni, propter periculum motus, juramentum fidelitatis præstent, & hoc pacto in amore, officio atque obsequio erga fratrem majorem contineantur, ut neque de tenuitate Apanagii conqueri audeant, licet Rex succedens de ea aliquid defalcare non prohibeatur, uti refert *Besoldus dissert. nomicop. 5. num. 10.* Sed de nostra Romano-German. Republicâ negat id *Bets. de pact. fam. ill. cap. 8. pag. 436.* ex eâ ratione, quod æquè splendida sit Postgenitorum conditio, ut Primogenito ne in minimo quidem subjecti, sed potius eundem

eundem cum Primogenito gradum, titulum, & dignitatem habeant ac retineant.

§. XVI. Tandem quã ratione cesset & extingvatur Apanagium, non opus est plura subtexere, utpote quod crimine læsæ Majestatis, & morte Apanagiati ejusq; filiorum consolidari rursus Regno, nullus ambigit. *Finiat ergò hæc Disputatio nostra in honore DEI, Principis terrarum maximi: ac voto salutis & incolumitatis erga Serenissimum ELECTOREM, Nutritium nostrum Clementissimum, totamq; Domum & familiam ejus Illustrissimam.* Fatigamus porrò Numen supplicibus pro benedictione & custodiã tam chari pignoris precibus. *Servet Te DEUS! dirigat, instruat gressus & actiones tuas; finem promoveat, Pacem concedat; vitam longævam, perennemq; largiatur felicitatem.*

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα!







ULB Halle  
003 633 195


3



TA → OL

WMP





11834

4681 9  
25

Σὺν τῷ Θεῷ!

DISQUISITIONEM POLITICAM

De

# SUCCESSIONE

PRINCIPIS, JURE  
PRIMOGENITURÆ,

&

# APANAGIO,

PRÆSES

M. CHRISTIANUS GOTTLIEB

VOGELIUS, Oderâ Misnicus, J. U. Cultor, &

Notarius Publ. Cæsareus, uti & Serenis. Elect. Sax.

Alumnus,

RESPONDENTE

JOANNE CHRISTOPHORO Fürden/

Wittenbergensi Saxone, Phil. & SS. Theol.


Stud.

*publicæ placidæq; ventilationi*

*exponit,*

*ad d. XVI. Cal. Februarii A. R. S. M. DC. LXXXI.*

*in Auditorio Veteri.*



Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

